

mò cum Fortuna sæpius modò his, modò il-
 lis victoriæ spem ostendisset, interuentu no-
 ctis, & pulueris nube, quæ vento equorúm-
 que calcibus agitata oculos pugnantium adeò
 infestabat, vt vix anterior pars equorum à ses-
 soribus cerneretur, prælium diremptum est.
 Eo ardentis pugnæ spectaculo Trimolium in cer-
 tamen illectum, atq; pertractum ferunt: qui equi
 lapsu præcipitatus, ac mox per tumultum à suis in
 equum illatus, ægrè è manibus hostium vulnera-
 tus effugit. Sequenti die Bedfordiensis Lutetiam
 reuertitur. Rex verò cum exercitu rectà Cõpen-
 dium Picardiæ oppidum contendit: atque illic
 non paucos commoratus dies, spe recipiendæ Lu-
 tetiæ Siluanectū redijt. Bedfordiensis autē veri-
 tus ne ille ad recipiendam Normaniam profici-
 sci vellet, Ludouico Luxemburgo Morinorum
 episcopo Francici iuris præfecto, Ioanne Rache-
 to, ac Symone Morchior cū duobus Anglorum
 millibus ad tutelam Lutetiæ relictis, magna co-
 acta manu eò proficiscitur: tanta enim totius Gal-
 liæ voluntatis commutatio facta erat, vt præter
 paucas admodum ciuitates nulla iam esset non
 suspecta Anglis. Idque adeò haud scio miran-
 dūmne sit cum compluribus alijs de causis, tum
 maximè quòd qui virtute belli omnibus genti-
 bus præferebantur, tantum se eius opinionis per-
 didisse, vt Anglorum imperia perferrent, grauif-
 simè dolerēt. Carolus cognito Bedfordiæ dis-
cessu, ad Dionysij Parthistorū cū exercitu venit:
 pleriq; enim eum frequentibus literis euocarāt,